



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Pœnitentis obligatio circa pœnitentiam acceptandam, & adimplendam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

*Pœnitentis obligatio circa pœnitentiam acceptandam
& adimplendam.*

11. Pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem, & humana fragilitati accommodatam acceptare, acceptatamque adimplere. Quod si pœnitentia gravis & rigorosa sit, poterit rogare Confessarium ut eam mitiget & minuatur: qui si noluerit mitigare, poterit pœnitens alium Confessarium adire. *Ib. punct. 4. n. 1. 2. & 3.*

12. Non solum peccat mortaliter pœnitens non adimplendo pœnitentiam, sed peccat etiam non adimplendo intra tempus præfixum à Confessario; quia facit contra obligationem in re gravi. Quod si nullus terminus præfixus sit, tenetur adimplere quam primum commodè potest: & quidem in statu gratiæ; alioqui peccat, quamvis injunctæ à Confessario pœnitentiæ satisfaciatur etiam in statu peccati. *Ib. n. 4. & seq. item n. 15.*

13. Si pœnitens re ipsa suscipiat indulgentiam respondentem satisfactioni pro pœnis debitæ, satisfaciatur injunctæ. Cessat item obligatio pœnitentiæ, quatenus est satisfactio, non solum per indulgentias, verum etiam per remissionem pœnæ alia via obventam, ut per alia pia opera satisfactoria propria, vel aliena sibi applicata; ratio tamen remittendæ sunt pœnitentiæ sacramentales ob susceptionem indulgentiarum, vel ob alia pia opera. *Ibid. n. 7. & 8.*

14. Satisfactio injuncta à Confessario non potest per alium adimpleri, sed per ipsummet pœnitentem adimplenda est, nisi Confessarius aliud expresserit: nam obligatio pœnitentiæ est personalis; secus dicendum, si pœnitens nequeat per se ipsum adimplere pœnitentiam, & pœnitentia non consistat in actione personali, sed in illis operibus quæ per alium tamquam per merum instrumentum fieri possunt. *Ibid. num. 11. & 12.*

15. Qui non potest satisfactionem per se ipsum adimplere, contineatur eam per alium adimplere. *Ib. n. 13.*

16. Pœnitentia in peccato facta non remittit pœnam durante statu mortalis peccati, quia peccatum mortale nondum remissum, est obex; quo sublato pœnitentia in mortalitate, prodest: & in eo differt pœnitentia sacramentalis à reliquis operibus in statu peccati mortalis factis, quod hæc sint mortua, & non reviviscant. *Ib. n. 16. & seq.*